



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Aliud in alia Heroide, quæ & Deipar[a]e Mariæ figura fuit, in summo
discrimine, miserentis Dei exemplum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

constituamus Deo; sed expectemus humiles consolationem eius. Si viri defint, si defint heroës, etiam si nullus adfit Achilles, nullus Ajax, nullus Priamus, (quod non dixerim) si tamen Deus auxiliari nobis voluerit, vel per feminam nos liberabit. Quò desperatiores sunt res nostræ, eò luculentius est auxilium diuinum; sicut & medico gloriosius est, si pellat morbos, qui incurabiles videbantur.

XII.
Esther. 3. 8.

Tale periculum etiam Iudæis impendebat, per omnia Assueri regna, cum Aman (cui supercilium vastum erat, & tantum, quantum barba) totius gentis interitum, decem millibus talentorum, vellet mercari. Iam consenserat Assuerus, vocatq; sunt scriba regis, mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis: & scriptum est, ut iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices provinciarum, diuersarumq; gentium, ut quæq; gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri; & littera signata ipsius annulo, missæ sunt per cursores regis ad vniuersas provincias, ut occiderent atq; delerent omnes Iudæos, à puero vsq; ad senem, paruulos & mulieres, vno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Atque ut videamus, rem in extrema tegula stetisse, iam in Susan pependit edictum; iam cuncti Iudæi, cum Mardocheo, in luctu & lachrymis erant; quin

Esther. 4. 1.

& Mardocheus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediocivitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu vsq; ad fores palatii gradientis. In omnibus quoq; provincijs, oppidis, ac locis, ad qua crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat, apud Iudæos, ieiunium, ululatus, & stetus, sacco & cinere multis, prostrato, videntibus. An non hoc periculum erat capitale? Sed ut & summum fuisse intelligamus, reginæ Esther, in cuius ope sola spes omnis erat sita, via ad regem fuit intercisa. Omnes serui regis, & cuncta, quæ sub ditione eius sunt, norunt provincie, ait Esther, quod siue vir, siue mulier, non vocatus, vterius atrium regis intrauerit, absq; vlla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementie, atq; ita possit viuere. Ego igitur quo modo ad regem intrare poterò, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum? Huc vsq; periculum vidimus; sed, ut vel M. Tullius dixit: discriminū periculorumq; comites dy: quare neque hîc defuit Dei auxilium. Itaque sicut, per Iudith, Bethulix dedit libertatem, ita & per Estherem, Iudæis vniuersis

Cic. l. 2. de
Nat. Deor.

uerfis illius ampliffimi regni, incolumitatem conferuauit, perſpicuà & vaticinante figurà, ſic olim etiam, per Dei Matrem, & cœli Reginam, in deploratiſſimis hominum rebus, auxilium à Filio eius impetrandum. Vnde & Filius, & Mater eſt *ſpes noſtra*. 1. Tim. 1. 1. Filium ſic vocat Paulus, quia eſt cauſa noſtræ ſpei, & *obiectiua*; ſperamus enim Chriſti viſionem: & *effectiua* ac meritoria; quia, non per Moysen, aut cæremonias legis, ſed *per Chriſtum Dominũ noſtrum*, eius ſcilicet meritum & auxilium gratiãque, ſperamus periculorum malorũque omnium tolerantiam aut liberationem, ipſãque etiam æternam beatitudinem: & *finalis* denique; ille enim eſt ſpei & patientiæ, & omnis virtutis noſtræ finis. Matrem autem Chriſti etiam *ſpem noſtram* vocat Eccleſia, non quaſi illa, per ſe & immediatè, ſit *ſpes noſtra*, ſed quia per illam mediatè ſperamus, nempe precibus illius, bona, quæ petimus, nos, apud Chriſtum, impetraturos; ſicut Mardocheo & Iudæis, apud regem Aſſuerum, gratiſſima & hinc potentiſſima regina Eſther impetrauit. Hoc fuit conſilium Dei. Dum Eſtherem euexit, iam, deſtinatione ſua, protexit Iudæos. Quod conſilium illi Mardocheus ante oculos poſuit, vt eam moueret, ad cauſam populi ſui, apud regem, agendam. *Et quis nouit, vtrum idcirco ad regnum veneris, aiebat, vt in tali tempore parareris?* Taliſ *ſpes noſtra* eſt & Maria, ſuper omnes choros Angelorum exaltata, vt, in tali tempore tribulationis, tanquam mediatrix noſtra, pararetur; per quam, cum iam actum eſſet de nobis, Chriſtum primariam ſpem noſtram accepimus. De quo beneficio itidem eſt aliquid à nobis memorandum. Nam omnia veteris Teſtamenti, in hoc argumentum exempla afferre, immenſum eſſet opus,

Esther. 4. 14.

L

CAP.